

cant, Episcopalem, vel Capituli, aut Collegiæ reditus constituunt. Ubi enim agatur de bonis Ecclesiæ Parochialis, aut quæ Capitulum, vel Collegium non habet, satis erit, ut Episcopus caussa discussa consensum præstet; at non idem iudicium esto de Ecclesiis, vel Monasteriis ab Episcopali potestate exemptis. Ea enim si Sedi Apostolicæ erunt *immediate* subjecta, tunc sane R. Pontificis consensus requiritur, et quidem specialis, et expressus: Rebusfius in *Comp. alien. rerum Eccles. n. 86.* Quod si ad Monachos, Regulares, aliosve Prælatos spectabunt, tunc quidem alienatio fieri potest auctoritate Ministri Provincialis, vel Generalis, alteriusve Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentis, cum tractatu tamen, et sollemnitate nuper expressis.

XV. Demum pauca hic præstat subnectere de celebri Decretali Extravagante *Ambitiosa*, quam Paulus II. edidit an. 1468. In ea primum omnes priores canones, decreta, et constitutiones ad rem, de qua agimus, spectantes confirmavit; tum quid nomine alienationis intelligendum explicavit; scilicet omne pactum, per quod dominium transfertur, concessionem, hypotecam, locationem, et conductionem ultra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphiteuticum, præterquam in casibus à jure permissis, ac de rebus, et bonis in emphiteusim concedi solitis ex Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, et bonis, quæ servando servari non possunt. (1) Adhæc sollemnitati prius requisitæ consensum Sedis Apostolicæ adjunxit, per quod tamen Canon *Terrulas* non esse derogatum declaravit Sacra Congregatio Concilii apud Fagnanum ad *Cap. Nulli 5. de Rebus Eccles. alien.* Dein præter contractus irritationem, quem tamen Ecclesiæ utilem probatum poterit illa ratum habere, gravissimas in prædictæ Constitutionis violatores infligit pœnas. (\*\*) Tandem Syn. Trident. præf. *Sess. XXV. Ref. cap. 11.* decrevit, quod *locationes si anticipatis solutionibus fiant, nullatenus in præjudicium successorum validæ intelligantur.* Quin et piissimi Reges nostri *Leg. VII. et X. Tit. II. Lib. I. Novæ Recop.* vasa sacra, et alia quælibet Ecclesiæ utensilia non solum vendere, sed etiam pignori subicere vetuerunt, pœna dupli, et æstimationis inflicta in eos, qui vel negaverint, vel non detegerint rem sibi venditam, aut pignoratam fuisse. Si verò propter belli necessitatem aliquando contigerit, quod vasa sacra, seu pretiosa Ecclesiæ mobilia Reges sumpserint, utenda, hoc tamen cum restitutionis spe fieri declaravit Joannes II. *Leg. IX. ibid. (\*) (2)*

### CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

#### DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS. (3)

I. Inter præcipuas Clericorum prærogativas jam *Lib. I. Tit. VIII. §. 3.* illam recensuimus, vivendi scilicet de oblationibus, decimis, primitiis, aliisque à populo fidei collatis subsidiis: id quod naturali rationi conforme, legis Mosaicæ, Christi, et Apostolorum exemplo comprobatum *ibid.* demonstravimus. Porro duo hic supersunt proprius discutienda. Primum undè repetenda Decimarum origo. Alterum quænam fuerit antiqua Ecclesiæ disciplina in distributione rerum sponte à fidelibus Ecclesiæ oblaturarum. Denique pauca de Primitiis subnectemus. Sit igitur primo.

(1) Vide notam V. in hunc tractatum.

(2) Conc. Mexic. III. in tit. 8. lib. 3. § 1. Bona ecclesiast. non alienari et alienantium pœnas statuit.

(3) Vide notam VI in hunc tract.

### ARTICULUS I.

#### DE DECIMIS.

II. Prima, quæ hac de re in sacro veteri Codice occurrunt vestigia, sunt Abrahami Decimæ è manubiis omnibus devictorum ab ipso regum Sacerdoti Melchisedeco persolutæ: *Gen. XIV. v. 20.* Hanc avi sui pietatem imitatus Jacobus cunctorum, quæ sibi in Mesopotamia acquirenda essent, decimas Deo offerendas vomit: *ibid. XXVIII. v. 22.* quam fidem ab itinere reducem liberasse nemo vel subdubiterit. Porro ante Mosaicam sanctionem *Levit. XXVII. v. 30.* nullus ex ipsis religiosissimis Patriarchis legitur, qui tanquam divinum pensum sibi decimas solvendas duxerit. Adhæc neque Mosaicum præceptum prius impletum spectamus, quam post adquisitionem ab Israelitis terræ promissæ pacificam possessionem. Quæ de re probanda videtur hoc in capite S. Thomæ sententia, qui *Secunda Secundæ Q. LXXXVII. art. 1.* censet legem decimarum eo intuitu spectatam, qua decimafructuum terræ pars debetur, esse omnino positivam, ac judicialem, quæ Christi adventu cessavit; at porro ea ratione, qua eis, qui divino cultui ministrant ad populi totius salutem, populus ipse necessaria vitæ subsidia præstet, ipsa naturali ratione inditam esse. Hæc S. Thomæ sententia concordî Theologorum, et politorum Canonistarum suffragio recepta est: (\*\*) atque hoc in sensu usurpandum est id quod dicitur in Syn. Valent. an. 1565. *Sess. V. Tit. IV. cap. 16.* et in *Compil. Tarracon. Lib. III. Tit. XVIII. cap. 3.* nimirum quod decimarum solutio jure Divino, et Ecclesiasticis legibus præcipitur. (\*)

III. Quid quod per quatuor priora Ecclesiæ sæcula nulla pœne occurrit decimarum mentio? ita sane. Quum enim frequentissimæ, ac satis copiosæ oblationes essent, quas sponte fideles Ecclesiæ conferébant, hinc nullam oportuit de decimis, atque adeo neque de victu ad Clericorum sustentationem fidelibus præstando, edere sanctionem.

IV. Primi, qui decimarum meminerint sunt Auctor *Constit. Lib. VII. cap. 30.* Hieron. in *Malach. Cap. 3.* Chrysost. *Hom. III. in Epist. ad Ephes.* dein et August. *Enarrationes in Ps. 146.* Cassianus *Coll. XIV.* alique Patres. Neque verò de decimis loquuntur, vel tanquam præcepto aliquo divino, aut ecclesiastico conferendis, vel tanquam ubique gentium universe conferri solitis. Sed de iis perinde verba faciunt, ac de solutione voluntaria, ad quam Hebræorum exemplo excitari oportebat fideles, quum tepescente charitate non omnia Ecclesiæ, ejusque ministris necessaria sponte à fidelibus suppeditarentur.

V. Jam verò quum Patrum monitis paullatim pendendarum decimarum consuetudo invaluisse, Canones deinde sanciti sunt, quibus ad præstandas Clericis decimas populus obligari cœpit. Ita Syn. Matiscon. II. *Can. IV.* Capitulare Caroli M. an. 801. *Cap. 6.* aliæque per ea sæcula habitæ Synodi: donec tandem jure decretalium decimarum solutio, quæ jam universe obtinebat, atque antiquo fidelium usu firmata fuerat, generali sanctione cuncto populo christiano imposita est. (\*\*) In Hispania jam olim Decimarum meminit Syn. Palent. an. 1129. *Cap. II.* sed uti communem Christiano populo legem impositam ipsis prædiis adjectam, supponit Jo. Cardin. Sabin. Legatus in Conc. Ilerd. an. 1219. in *Compil. Jo. Teres Lib. III. Tit. XVIII. capit. 1.* eamque primo agnovit Alphonsus Sapiens ad annum 1255. *Leg. IV. Tit. V. Lib. I. Fori Regii,* dein Syn. Penna-fid. an. 1302. *Cap. VII.* ac reliqua inde celebrata Concilia. (\*)

VI. Quinimmo sæculo XIII. exeunte Cælestinus III. decimas persolvendas edixit, non modo de fructibus, quos terra annuatim gignit, verùm et de negotiatione, venatione, militia &c. Nullum sane hoc antiquius de decimis personalibus exstat vestigium. Cælestini autem responso inter Decretales Gregorii IX. relato, jus generatim inductum est de omnibus, etiam de personalibus lucris, decimas deberi. (\*\*). Id quod primo servandum in Hispania sanxit Syn. Penna-fid. *Cap. VII.* hoc decreto: *Ordinamus, ut omnes Parochiani de suis prædiis, et prædiorum cultis, ac arborum fructibus, et de aliis natura, vel cultura humana ex terra nascentibus, necnon et de animalibus; insuper... et de omnibus aliis licite adquisitis Decimam, tanquam portionem Domini, eam Ministris Christi sine qualibet diminutione persolvant.* Ac dein Syn. Tolet. an. 1323. *Cap. XIII.* et Salmant. *Cap. V. §. final.* At personalium decimarum solutio vix in quibusdam Hispaniarum populis remansit. (\*)

VII. Decimarum igitur duplex genus statuitur: nimirum aliæ *Prædiales*, aliæ *Personales*; quibus addendæ et *Mixtæ*. Prædiales sunt, quæ ex fructibus, et proventibus prædiorum debentur: idque *indifferenter* sive urbana sint, sive rustica. Porrò hujusmodi decimæ vel *Majores* sunt, vel *Minores*, vel *Novales*. *Majores* sunt, quæ de grano, vino, sæno, aliisque fructibus distentioribus penduntur. *Minores* de leguminibus, et oleribus. (\*\*). Has omnes minutim recenset Syn. Valent. præf. *Cap. 16.* (\*) *Novales* demum de agris recens excultis. Personales dicuntur, quæ ex rebus, quas quisque sibi industria, et opera sua acquirit, persolvuntur; veluti ex lucro honestæ cujuscunque negotiationis, militiæ, venationis &c. *Mixtæ* demum, quæ partim prædiales sunt, partim personales; scilicet, quæ ex fructibus, pecorum fetu, lacte, lana &c. præstantur. Lege Mosaica, et jure Ecclesiastico ad sæculum usque XIII. uti modo observavimus, prædiales tantummodo decimæ persolutæ sunt.

VIII. Decimæ Personales in eo differunt à Prædialibus, quod hæc nullis deductis expensis, statim ac fructus collecti sunt, debentur: *Cap. 7. 22. et 26. de Decimis*, (\*\*). et *Compil. Tarracon. Lib. III. Tit. XVIII. Cap. 3.* (\*) et quidem Parochiis, intra quarum fines prædia jacent; quamvis illorum domiaia alia in Parochia commoretur, nisi aliud obtineat ex consuetudine: *Cap. 13. 18. et 20. eodem.* Illæ verò Parochiis præstandæ sunt, ubi quis Ecclesiastica percipit Sacramenta. (\*\*). Ad rem Syn. Salmant. præf. *Cap. V.* *Quum Decimæ Ecclesia debeantur illi, in cujus Parochia prædia excoluntur, nisi ab alia Ecclesia per præscriptionem debitam sint subtractæ, præsentis decreto sancimus, quod qui semel alicujus Ecclesie Parochianus fuerit, alterius fieri non possit, nisi domicilium totaliter in alterius Parochiam transferendo, et tunc personales Decimas illi solvere teneatur Ecclesie, in qua receperit Ecclesiastica Sacramenta; prædiales vero solvat illi, in cujus Parochia sunt prædia situata, nisi aliud de consuetudine præscripta legitime observetur.* (\*) Et quidem personales decimæ solum deductis expensis debentur. Qua de re in negotiatione nonnisi ex lucro, subductis impensis persolvendæ. Demum *Mixtæ* debentur quidem Parochiis, ubi armenta pascuntur, at detractis sumptibus. Generales hi Canones sunt, ad quos diversi generis decimarum jus plerumque dirigitur. Ceterum in hac re plurimum consuetudini tribuendum, tum illarum rerum intuitu, ex quibus decimæ præstandæ sint, tum respectu illorum, quibus decimas persolvere oporteat, uti mox videbimus.

IX. Decimæ jure antiquo, et communi nonnisi Parochis præbendæ. Id sanè primæva decimarum origo indicat: suppeditari enim cœperunt tanquam necessaria Sacerdotibus totius populi salutis prospicientibus stipendia; tum ex Concilio-

rum Canonibus patet quibusnam Decimarum solutio primum sancita fuerit; præsertim ex *Can. XIX.* Conc. Cabilonensis II. et *Can. II.* Conc. Metensis, quibus expresse cautum est, ne quis fideles ab decimis Ecclesiis Parochialibus præstandis avertat. Et sanè habebantur veluti oblationes Parochis, et Ecclesiis Parochialibus præstandæ: id quod et Romanorum Pontificum Decretales etiam exhibent. Consultus enim Innocentius III. de quarundam decimarum præstatione sic rescribit: *Quum perceptio Decimarum ad Parociales Ecclesias de jure communi pertineat:* *Cap. 29.* de Decimis. Eadem habet *Cap. 30. ibid.* Unde tamdiu Parochus jus habet sibi decimas vindicandi, quamdiu evidenter non ostendatur speciali titulo eas ad alium spectare.

X. Verùm jus percipiendi decimas contra ipsam Parochialem Ecclesiam præscribi posse haud ambigendum: ad quod tamen cum possessione quadraginta annorum titulus quoque concurrat necessum est, vel duntaxat tituli defectum suppleat possessio immemorabilis: *Cap. 4. et 6. de Præscriptionibus*, et *Cap. 1. eodem in VI.* et sanè nonnunquam per Episcopos, atque etiam per Romanos Pontifices Capitulis, et Monasteriis non modo decimas concessas, verùm et ipsas Parochiales Ecclesias incorporatas constat. Illud verò prorsus mirandum, decimas jam indè à sæculo VIII. in laicorum manus transferri cœpisse: in quam rem sanè diligentius inquirendum.

XI. Ac primo jus percipiendi Decimas ab ipsis Decimis distinguendum: illud prorsus spirituale est: *Consequitur enim*, ut rectè notat S. Thomas *ibid.* art. 2. *illud debitum, quo ministris altaris debentur sumtus de ministerio, et quo seminantibus spiritualia debentur temporalia: quod ad solos Clericos pertinet habentes curam animarum. Res autem quæ nomine decimarum dantur, corporales sunt. Unde possunt in usum quorumlibet cedere: et sic possunt etiam ad laicos pervenire.*

XII. Ut autem hæc Decimarum in laicos translatio legitime fiat, legitima quædam requiritur causa; scilicet necessitas, vel utilitas Ecclesie, pauperum levamen, vel aliud hujuscemodi: S. Thomas *ibid.* ad 3. Porrò tria hinc mala sensim profluxere, 1. Principes Decimas sibi in subsidium ad tempus concessas in beneficium stabile, sive in feudum possidere voluisse, 2. Nonnullos Episcopos, et Prælatos nimis faciles, neque ex justa causa, decimas concedere consuevisse, 3. Laicos aliquando decimas propria auctoritate, vel Parochis conniventibus, usurpasse.

XIII. Non desuere quidem Episcopi, atque etiam Romani Pontifices, qui hujusmodi abusioni pro virili sese opponerent: (\*\*). uti Syn. Palent. an. 1129. *Decr. XVI.* constituens, *quod laici tertias Ecclesiarum, seu quascunque oblationes, nulla occasione possideant, sed in dispositione Episcoporum cuncta, quæ Ecclesiarum fuerint, habeantur;* et S. Raymund. Pennafort. in *Summa Lib. I. pag. 129.* (\*) At nimis arduum erat decimas è laicorum manibus eripere, qui in illarum possessione diu fuissent. Satius igitur visum est rem veluti transigere; id quod in Concilio Lateran. III. sub Alexandro III. primum adgredi cœperunt, dein sub Innocentio III. aliisque secutis Romanis Pontificibus identidem prosequuti sunt. Ac 1. sancitum est, ut laici decimas in alios laicos transferre non possent: Conc. Later. III. *Cap. 19. de Decimis.*

2. Ut qui decimas hæreditario jure tenerent, possent eas cui voluerint idoneo Clerico dare, eo quidem pacto, ut postea ad Ecclesiam, cui de jure competunt, reverterentur: ita Syn. Abricensis an. 1172. *Can. IX.* (\*\*). Verùm laici decimas Regularibus potius donare, quam Ecclesiis à quibus eas abstulerant, reddere maluerunt. Hanc iniquam laicorum restitutionem damnavit Innocentius III. in Conc.

Lateran. IV. *Cap. 31. de Præbendis*, in eamque acriter invehitur Jo. Episcopus Sarisberiensis *Cap. VII. de Nugis Curial.* (\*)

3. Ut laici servitia Ecclesiis, quarum decimas infeudatas haberent, præstare tenerentur: Innocentius III. *Lib. IV. Epist. 9.*

4. Ut occasione decimationis antiquæ decimæ novalium non usurparentur: Idem Innocentius III. *Cap. 29. de Decimis.*

5. Ut Religiosi possent de consensu Episcoporum decimas à laicis detentas accipere: Alexander IV. *Cap. 2. §. 3. de Decimis in VI.* id quod de iis duntaxat decimis, quas ante Conc. Lateran. III. laici in feudum possidebant, intelligendum *ibid.* monetur. Unde communis illa, ac ubique hodie recepta Canonistarum regula profluxit: scilicet illas tantummodo decimas à laicis in feudum retineri posse, quas ante Conc. Lateran. III. consecuti fuerint. Licet igitur jus percipiendi decimas ex primigenia institutione omnino spirituale sit, possunt tamen decimæ ipsæ à laicis, vel justo titulo, vel immemorabili præscriptione possideri.

(\*\*) XIV. Regibus Catholicis plura à sæculo XIII. indulta sunt privilegia decimas percipiendi. Episcopus Valentinus annuente Metropolitano Tarraconensi, Jacobo I. Aragoniæ Regi, et Successoribus in feudum perpetuum concessit 4. Nonas Novemb. an. 1241. tertiam partem omnium decimarum piscationis, et fructuum Valentiniæ Diocesis, exceptis possessionum Decimis, quæ ad Milites, Clericos, vel religiosa loca pertinerent. Turb. ob eandem causam Clemens V. *Constit. Olim claræ memoriæ* indulgit Alphonso IV. ut ad triennium percipere posset ab Ecclesiis intra suarum ditionum limites exstantibus binas partes tertiæ portionis decimarum, vulgò *Tercias Reales*; quam quidem concessionem Alexander VI. in perpetuum extendit *Bulla Dum indefensa* die 26. Februarii an. 1494. et ad extinguendas omnes penitus controversias, quæ exortæ erant, sua confirmavit Pragm. Sanctione Philippus II. die 30. Martii an. 1565. *Leg. I. Tit. XXI. Lib. IX. Novæ Recop.* Tum etiam Pius V. ad quinquennium Philippo IV. die 21. Maii an. 1571. ac dein Benedictus XIV. in perpetuum Ferdinando VI. die 6. Septembris an. 1757. concesserunt decimas ex majori uniuscujusque Parochiæ domo, vulgò *Casa mayor Dezmera*, quæ quidem gratia cessare debet semel ac stabiliatur *Unica Contributio*, ex præf. *Constit. Benedicti XIV.* Videsis *Lib. I. Tit. VIII.* Demum præf. Benedictus XIV. die 30. Julii an. 1749. concessit Ferdinando VI. perceptionem decimarum ex omnibus terris recens excultis, quæ *Novalis* appellantur. In Indiarum Regnis omnium percipiendarum decimarum jus ex Apostolica concessionem obtinuerunt Reges nostri *Leg. I. Tit. XVI. Lib. I. Recop. Indiar.* sed tertiis, sive duabus nonis partibus sibi tantummodo reservatis, metallorum, et gemmarum decimas integre percipiunt: *Lege XIV. ibid.* (\*)

XV. Ad decimarum solutionem jure communi obstringuntur omnes prorsus Christiani, atque adeo etiam Judæi, ac Pagani, si de prædialibus sermo sit; prædii enim ipsis adjacent: *Cap. 16. et passim hoc titulo.* (\*\*) Id quod de prædiis, quæ prius fuerant Christianorum, et de Novalibus constitutum est in *Compil. Jo. Teres Lib. III. Tit. XVIII. cap. 2.* Imò ad decimas solvendas censuris possunt Christiani compelli: *Cap. 5. et 6. de Decimis, et Leg. V. Titulo XIX. Partit. I.* et quidem ante deductam Regularibus mendicantibus tribui solitam eleemosynam: *Sanct. I. Tit. V. Lib. I.* vulgò *Autos Acordados.* (\*) Quinimmo jure communi etiam Monachos, et Regulares ad decimas persolvendas teneri certum omnino est: *Cap. 4. ibid.* (\*\*) Et quidem integre: *Syn. Vallis-olet. Cap. XII.* his verbis: *Ut fraudes, quas diversis modis Religiosi in dandis decimis animalium, et novalium adhibent, a Prælatibus, et Ecclesiarum Rectoribus cautius evitentur, statui-*

*mus, ut postquam Religiosi per Diocesanos requisiti fuerint, super fraudibus hujusmodi nullatenus adhibendis, Religiosi ipsi, qui hujusmodi fraudes commiserint, in Synodis Episcopalibus, et in majoribus locis ipsarum Diocesium excommunicati publice denuntientur. Et nihilominus Prælati Constitutionem felicis recordationis Domini Clementis Papæ V. quæ incipit: Religiosi quicumque super hoc editam cum diligentia exsequantur. Quod et Reges nostri ratum habere Leg. II. Tit. V. Lib. I. Nov. Recop.* (\*)

XVI. Porrò ab onere præstandi decimas potest quis eximi vel ex privilegio, vel ex præscriptione, vel ex pacto. Ac primo ex privilegio Romani Pontificis Innocentii II. prorsus à decimis exempti declarati sunt Cistercienses; quod postea privilegium ita restrictum, ut exempta non essent, neque prædia post Concilium Lateran. IV. acquisita, neque ea, quæ vel ab aliis locarent, vel aliis colenda traderent. Et sane, ut recte observat Alexander III. *Cap. 9. hoc tit.* quando privilegium illud Ordini Cisterciensi datum fuerat, ejusdem Abbatæ, et nimis raræ, et exiles erant, Porrò quod spectat ad prædia, quæ Monachi ipsi suis manibus excolunt, ut inde victum capiant, generatim ab Decimis exempta sunt; quo privilegio omnes fruuntur, qui sub certa, et probata regula communem vitam agunt: *Cap. 10. hoc tit.*

XVII. Præscriptione etiam, seu consuetudine acquiritur decimarum immunitas, quæ, ut supra notavimus, sine titulo debet esse immemorabilis; cum titulo verò annorum quadraginta. Porrò decimarum præscriptionem de Majoribus tantummodo intelligas, non de Minoribus, et Novalibus, quæ semper ad Parochum spectabunt, nisi titulus adsit contrarius. Sic immunitas personalium decimarum inducta est, eoque facilius, quod, quum impensæ essent subducendæ, sæpe parum superesset lucri. Mixtæ quoque multis in locis exoleverunt, ut et in aliquibus etiam prædiales, ex eo præsertim tempore, quo regiis sanctionibus Parochis optio proponi cœpit, ut vel decimas, vel congruam portionem eligerent. Novissimis Regiis Rescriptis, præsertim die 20. Augusti an. 1768. nonnisi ubi Parochi *Congrua* sint destituti, ex Decimis *Congruæ* defectus supplendus.

XVIII. Conventione demum, sive pacto immunitas decimarum inducitur: *Cap. 2. de Transactionibus*; quod antiquitus, ut supra observavimus ex causa etiam gratuita, et liberali fieri consuevit; at deinde nonnisi ex causa onerosa transactionis, vel compensationis alterius rei spiritualis fieri posse decretum est; ut puta si religiosus hujusmodi largiatur immunitas, ut ipsi habendis in Parochia concionibus obstringantur: *argum. Cap. 8. ibid.*

XIX. Illud hic postremo animadvertendum, nomine decimæ non strictim decimam frugum partem venire: plerumque enim minus præstatur, veluti duodecima, vel quintadecima pars; et alicubi etiam vigesima, vel trigesima. Verum quæcumque hac in re sit consuetudo, illud constat posse laicos ad decimarum solutionem compelli. In Capitularibus Regum Francorum *Lib. II. Cap. 48.* jam sancitum erat, ut *qui decimas pro crebris Sacerdotum admonitionibus, et predicationibus dare neglexerint, excommunicentur.* Idem ab Alexandro III. *Cap. 5. hoc tit.* statutum legitur. Id quod secuti Tridentini Patres *Sess. XXV. Ref. cap. 12.* in hunc modum decernunt: *Qui (decimas) aut subtrahunt, aut impediunt excommunicentur; nec ab hoc erimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur.* At hoc Tridentinum Caput, uti *Lib. I. Tit. IV.* indicavimus, unum ex illis est, quæ regii Censores temperanda prius, quam executioni mandanda censuerunt; præsertim quum non desint alia media, quibus ad illas exsolvendas laici compelli possint. (\*\*) Reges nostri plures in surripientes, retinentes, et fraudantes decimas

pœnas infligere: *Leg. I. II. et III. Lib. I. Tit. V. Novæ Recop.* At in Supremo Castellæ Senatu admittendum voluere recursum adversum exigentes decimas ex his fructibus, ex quibus solvi antea non consueverunt: *Leg. VI. et VII. ibid.* (\*) (1)

## ARTICULUS II.

## DE OBLATIONIBUS.

XX. In eo à Decimis differunt Oblationes, quod ad illas præstandas populus ex justitia teneatur; at oblatio proprie sit munus à fidelibus Deo, vel Ecclesiæ sponte oblatum. Hujusmodi Oblationes antiquitus adeo frequentes, et copiosas fuisse, ut quædam Ecclesiæ potuerint de iisdem portionem Ecclesiis indigentioribus conferre, constat ex *Apost. II. ad Corinth. v. 8.* Tum de Ecclesia Romana testantur Dyonisius Corinthi Ep. apud Eusebium *Lib. IV. cap. 23.* et Dionysius Alex. apud eundem Eusebium *Lib. VII. cap. 5.* consuevisse scilicet ad dissitas, easdemque pauperes Ecclesias necessaria vitæ subsidia transmittere.

XXI. Porrò in spontaneis hisce offerendis muneribus Ecclesia Hierosolymitana inter ceteras emicuit: ibi enim, ut habetur *Act. II. v. 44. et 45. qui credebant erant pariter, et habebant omnia communia, possessiones, et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Eandem ab Orientalibus non paucis in partem fuisse rationem, scribit Eusebius *Lib. III. cap. 37.*

XXII. Oblationes proprie dictæ, sive quæ Ecclesiæ offerebantur præcipue ad ministrorum altaris sustentationem, duplicis erant generis: aliæ ad altare offerebantur, scilicet triticum, racemi, oleum, thus; aliæ in domum Episcopi deferebantur, puta mel, lac, legumina, volatilia, pecudes, poma, aliique fructus: Canones sic dicti *Apost. Can. III. IV. et VIII. Auctor Constit. Lib. VII. cap. 30.*

XXIII. Verùm in rerum Ecclesiæ oblatarum partitione præcipua penes Episcopum potestas erat, ad quem spectabat providere, ut rectissime administrarentur, et distribuerentur: ita canones sic dicti Apostolici *Can. XXXVII. et XL. Auctor Constitutionum Lib. II. cap. 25.* ac veterum Conciliorum Canones. Jam verò Episcopus Diaconorum opera uti consuevit, ac præsertim Archidiaconi, aliisque constituti Economi, qui ex ejus mandato necessaria pro divino cultu suggererent, alimenta item Sacerdotibus; et Clericis suppeditarent, habita tamen ratione gradus, et ordinis, (\*\*) nonnunquam etiam meriti, et laboris uti sanxit *Syn. Emerit. Cap. XIV. (\*)* et quidem vel quotidie, vel singulis mensibus, (\*\*) vel bis, aut semel in anno, uti decrevit *Syn. Brac. I. Cap. XXI. alias Can. XXXVIII. (\*)* Undè haud raro apud veteres occurrunt sportulæ quotidianæ, et divisiones menstruæ. Sua quoque alimenta pro uniuscujusque necessitate recipiebant pauperes, virgines, viduæ ecclesiasticæ, martyres, et confessores in carceribus detenti, infirmi, peregrini, aliique hujus generis.

XXIV. Omnibus ex æquo fidelibus permissum erat munera altari, et Ecclesiæ offerre: at verò in iis recipiendis illud quammaxime cavebant veteres Sanctissimi Episcopi, ne cui fraudi essent; præsertim filiis, et parentibus. Eo spectat quod ait *S. Ambrosius: Non querit donum Deus de fame parentum.* Adhæc offerre vetabantur publicæ pœnitentes, fratres dissidentes, et qui pauperes opprimebant: *Can. XXVIII. Conc. Illiberit. et Can. XCIV. et XCVII. Conc. Carthag. IV.* Id quod non de omnibus indiscriminatim oblationibus intelligendum, at de iis tantum-

(1) Vide notam VII in hunc tractatum.

modo, quæ sacrificium spectabant. Etenim, uti modo ex Constitutionibus Apostolicis observavimus, jam indè ab Ecclesiæ incunabulis mos obtinuit, ut populus panem, et vinum ad Altare offerret, ex quibus Corpus, et Sanguis Christi conficeretur.

XXV. Porrò secutis temporibus loco panis, et vini offerri cœpit pecunia, cujus mutationis originem rariori fidelium communioni adscribendam censet *Honorius Augustodunensis in Gemma animæ cap. 58.* id quod VIII. sæculo primum fieri cœptum, saltem in Missis privatis, demonstrat *Mabillonius in Præf. ad I. Part. III. Sæc. Bened. n. 62. (\*\*)* At in Hispania pecuniæ oblationes antiquiores esse sæculo VIII. et quidem in festis diebus demonstrat *Syn. Emerit. an. 666. Cap. XIV. In Sancta Dei Ecclesia, ait, diebus festis pro consuetudine, et mercede, communionis a fidelibus pecuniam novimus poni.* Porrò duo indicat præf. *Cap. I.* pecuniam offerri solitam in Missis sollempnibus, idque denotant verba *diebus festis, communionis tempore, a fidelibus: 2.* non tunc primo usitari cœpisse id genus oblationum, sed Concilii Emeritensis ævo antiquiores esse, uti colligitur ex his verbis: *pro consuetudine novimus poni. (\*)* Tum denarii inter Missarum sollempnia ad Altare oblatis, quum in usum Sacerdotis celebrantis cedere cœpissent, hinc sensim factum est, ut omnis prorsus oblatio in Missa desuesceret, sed qui pro se, tanquam præcipue offerente, Missam celebrari, aut orari vellet, id oblato denario à Sacerdote postulare: hujus moris prima occurrit mentio apud *Petrum Damiani Lib. I. epist. 15.* Atque hinc ille denarius, quem hodie *Honorarium, aut Stipendium* Missæ vocamus.

XXVI. Inter hujusmodi Stipendium, et antiquum inter Missarum sollempnia offerendi morem haud leve est discrimen. Tunc enim omnes, qui Sacrificio intererant fideles, panem, et vinum, vel denarios ad Altare offerebant, quum Sacerdos nonnisi unam pro omnibus Missam celebraret. At inducto stipendio quisque fidelis illud præstans, peculiare pro se postulat Sacrificium. Cetera, quæ ad hanc rem spectant, habebitis in Theologicis Moralibus Institutionibus. (\*\*) Videsis hujus *Lib. Tit. IV. (\*)*

## ARTICULUS III.

## DE PRIMITIIS.

XXVII. De Primitiis fructuum, tanquam de parte alimentorum Cleri, non modo Canones sic dicti Apostolici *Can. IV. et Constitutiones Lib. VIII. cap. 40.* loquantur, verum et Patres antiquissimi: *Origenes contra Celsum Lib. VIII. et Irenæus Lib. IV. cap. 32.* Tum *Irenæus ipse ibid.* oblationis primitiarum hanc adfert rationem: *Suis discipulis dans consilium Christus, primitias Deo offerre, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint.* Et *ibid. cap. 34. Offerre igitur oportere Deo primitias ejus creature.*

XXVIII. Porrò non modo ad agnoscendum creatorem, verum et ad ministrorum altaris sustentationem primitias fuisse oblatas, indè colligi posse videtur, quod in Synodo Gangrensi hæretici *Eustathiani* arguantur, quippe qui primitias fructuum ex veterum institutione Ecclesiis tribui solitas sibi vindicaverint, et tanquam sanctis sibi eas offerri debere crediderint, apud se, et inter se dispensandas. *Epistola Synod. apud Balsamonem.* Porrò ex uvis potissimum, et frumentis primitias fuisse oblatas constat tum ex Canone quodam Africano *Cod. Afric. Can. XXXVII.* quo decernitur: *Nec amplius in primitiis offeratur, quam de uvis, et frumentis; tum ex Nazianzeno, qui Epist. 80. earundem meminit. Demum ad*

altare fuisse oblatas ex eo evinci potest, quod Auctor Const. Apost. *Lib. VIII. cap. 40.* formulam precandi proferat, cui *titulus* adscribitur, *imploratio super primitias.*

XXIX. Jam verò secutis temporibus in desuetudinem abiire; vix enim jam indè à sæculo V. earundem occurrit mentio: tantummodo sanctitæ reperiuntur in Concilio quodam Hispano apud Ivonem Carnotensem in Decreti *P. III. cap. 174.* Ceterum ubi adhuc obtineant, quomodo, et quibus ex rebus præstandæ sint, propria cujuscunque loci consuetudo præscribat, ut docet Ostiensis ad *Cap. 1 hoc tit.* (\*\*). In Hispania Primitias jam diu viguisse novimus; eas quippe Alphonsus Aragoniæ Rex in voto Deo facto in honorem Ecclesiæ Valentiniæ à Capellanis propriorum sustentatione, et Ecclesiæ fabricæ percipiendas concessit anno 1241. Earundem usum inductum jam supponit Rodericus Telli in Syn. Tarracón. post an. 1291. in *Compil. Jo. Teres. Lib. III. Tit. XVIII. cap. 2.* et Alphonsus Sapiens confirmat, ac à veteri lege deductam putat *Leg. I. et II. Tit. XIX. Part. I.* imò ad ipsas exsolvendas censuris posse fideles compelli decernit *Leg. V. eod.* Ad nostrâ tamen tempora quantum spectat, Primitiæ, altera scilicet ex triginta fructuum pars, generatim in Hispania exsolvantur, et fabricæ Ecclesiarum deputantur. At plurimum hac in re consuetudini concedendum: *Leg. IV. ejusd. (\*)*

### CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

#### DE BENEFICIORUM ORIGINE, DEFINITIONE, ET DIVISIONE.

##### Nominis Beneficii apud Veteres usus.

I. Beneficii vocabulum apud veteres Latinos Auctores tum *progressionem* significabat ad altiorem gradum: Tacitus *Lib. IV. Hist. cap. 48.* et promoti dicebantur vel homines *beneficii* ejus, à quo evehebantur: Suetonius in *Tib. cap. 12.* vel *beneficarii*: Cæsar *Lib. I. de Bell. Gall. cap. 75.* unde in veteribus Inscriptionibus apud Gruterum haud raro occurrunt *Beneficarii Tribunorum, Consulium, Praefectorum &c.* Tum quoque præmium denotabat, quod de Republica benemeritis ex publico ærario conferri solebat. Etenim apud Romanos in more fuit, ut Magistratus è provincia reversi nomina eorum ad ærarium deferrent, quorum opera in munere suo adimplendo salubriter usi fuerant; unde *deferre in beneficiis*: Cicero pro Archia: *In beneficiis ad ærarium delatus est a L. Lucullo Pratore.* Quum verò postea hisce de Republica benemeritis, præsertim militibus, prædia utenda fruenda elargiri consueverint, hinc *Beneficium* pro *prædio* usurpatum est Imperatoris liberalitate alicui concesso propter bonam Reipublicæ datam operam. Haud igitur immerito in jure nostro prædia, quæ Clericis bene de Re Ecclesiastica meritis tribuuntur, quoad vixerint utenda, Beneficia dicta sunt. Satis de nomine.

### ARTICULUS I.

#### DE ORIGINE BENEFICIORUM.

- II. Originem quod spectat, jam *Tit. XVII.* observavimus 1. prioribus Ecclesiæ sæculis Clericos ex muneribus sponte à fidelibus Ecclesiæ oblatas victitasse.
2. Hascè fidelium oblationes præcipuam constituisse reddituum Ecclesiasticorum partem, etiam postquam Ecclesia bona immobilia possidere cœpit.

3. In reddituum Ecclesiasticorum distributione præcipuas Episcopi fuisse partes, cui tamen ex Synodicis sanctionibus, ad omnem fraudis suspicionem declinandam, Economo utendum erat.

4. Antiquissimo Ecclesiastico jure quum Ecclesiæ bona inter Clericos disperterentur, eam tantummodo rationem habitam fuisse, ut quantum quisque indigeret, tantumdem acciperet, (\*\*). vel quantum studii in peragendis Ecclesiasticis Officiis impenderent, ut decrevit Syn. Emerit. *Can. XIV.* aut quantum Episcopus existimaret, uniuscujusque Clerici operas esse pendendas: Ead. Syn. *Can. XIII.* (\*) S. Cyprianus *Epist. 11.* alias 6. inter abusiones in Ecclesiam suam ætate inductas illam recenset, quod Clerici, sprete communi cum Episcopis vivendi ratione, singuli per hebdomadas, vel per menses æquales acciperent portiones.

5. Nonnisi V. sæculo primum redditus Ecclesiasticos in tres, quatuorve portiones dividi cœpisse Ecclesiæ, Episcopo, Clericis, et Pauperibus adsignatas. (\*\*). In Hispania uti *Tit. XIV.* animadvertimus tribus tantummodo portionibus Ecclesiæ res dividebantur, inter Episcopum scilicet, Clericos, et Ecclesiam: atque hæc portio ad Ecclesiam spectans, ad Episcopi nutum in Ecclesiæ fabrica impendenda erat. (\*)

III. Jam verò sæculo VI. incunte ea vigere cœpit consuetudo, ut Clericis, qui strenuam rei Ecclesiasticæ navassent operam, prædia Ecclesiæ ad tempus fruenda concederentur, Syn. Agathens. an. 506. *Can. VII.* post perlatam sanctionem, ne Episcopi res Ecclesiæ alienare præsumerent, subnectit: *Minusculas vero res, aut Ecclesiæ minus utiles peregrinis, vel Clericis, salvo jure Ecclesiæ, in usum præstari permitimus.* Et *Can. XXII. Presbyteri, vel Clerici, salvo jure Ecclesiæ, rem Ecclesiæ, sicut permiserunt Episcopi, teneant, vendere autem, aut donare penitus non præsumant.* Tum Syn. Aurelian. I. *Can. XXIII. Si Episcopus humanitatis intuitu vineolas, vel terras Clericis, vel Monachis præstiterit, excollendas, vel pro tempore tenendas &c.* (\*\*). Id quod aperte docet Synod. Tolet. II. *Can. IV.* et non obscure Tolet. III. *Can. III.* et Tolet. IV. *Can. XXXVIII.* alias *XXXVII.* (\*) Vides hic prima veluti rudimenta beneficiorum, licet Beneficii vocabulo non adhuc usurpato: at vides simul haud frequentes ejusmodi fuisse concessiones, et nonnisi vel ex necessitate, vel ob singularia personæ alicujus merita fuisse factas: unde potius jure personali, quam jure tituli prædia illa Clericos utenda accepisse patet; quibus decedentibus prædia sua Ecclesia recuperabat, poteratque usque retinere, nec præterea in successores ullos traducere: Thomass. *Part. III. Lib. II. cap. 16.* (\*\*). Id quod decrevit Syn. Tolet. II. *eod. Can. IV.* ita subjiciens: *Verum post suum ex hac luce discessum juxta priorum Canonum Constitutiones jus suum Ecclesiæ sanctæ restituat, nec testamentario, aut successorio jure cuiquam hæredum, pro hæredumve relinquat, nisi forsitan cui Episcopus pro suis servitiis, et præstatione Ecclesiæ largiri voluerit.* (\*)

IV. Porrò deinceps sicuti Ecclesiis Parochialibus certi redditus constituti sunt, oblationesque, ac decimæ fidelium intra earundem limites incolentium adsignatæ, et quidem pleno jure independenter ab Episcopi administratione; ita quoque simul inductum est, ut jus percipiendi fructus, sive proventus Ecclesiasticos jam non personis, sed Ecclesiis, sive Titulis adnecteretur; adeout ubi Presbyter, vel Clericus Ecclesiæ cujusdam ministerio, sive titulo addiceretur, jus simul redditus eidem titulo adnexos percipiendi sibi compararet. Atque hinc etiam factum est, ut ipse titulus Beneficium diceretur; tum quod jus illud proventus Ecclesiasticos percipiendi ipsius tituli acquisitionem consequeretur; tum quod titulus, sive Ecclesiæ ministerium tanquam principale esset; cujus jus illud, ut minus præcipuum,